

II f  
304

Orationem  
De  
*Theologiae & Jurisprudentiae conjunctione,*  
qua  
Generosus & nobilissimus

Juvenis  
**CAROLUS LEB-  
RECHT HOLM,**

Dresd. Misn.

exacto

in

**GYMNASIO ZITTAVIENSI**

curriculo scholastico

Musis Zittaviensibus

d. VII, Maji h. VIII. sqq. An. c1s 1837 XXXVII.

vale suum dicturus est,

commendat,

&

**PATRONOS,  
FAUTORES & AMICOS  
GYMNASII**

ad audiendum

humanissime & peramanter inuitat,

**Gottfried Polycarpus Müller.**

Gymn. Zitt. Direct.

ZITTAVIÆ,

Stannis Johannis Christiani Stremelii.



*De Philosophiae Wolfianae conceptu cum Theologia impugato  
et defeso.*

*Pro rectore G. B. Stori  
republice et provinciae  
saluti & aemulo testi-  
ficatioe p.  
A. Schor*



**C**um generoso & eximio Iuueni, cui in Academiam Lipsiensem abituro solemniter in-  
 struimus apobateria, de consensione ac conjunctione Jurisprudentie cum theolo-  
 gia boni omnis gratia differere placuerit; præfamen aliquod, ut mo-  
 ris est, meditantiis nobis theologiæ & philosophiæ contentio, & ex hac contro-  
 uersia, nostra ætate celeberrima, de philosophiæ Wolfianæ contentio cum theologiâ  
 impugnato uel defenso, in mentem uenit. Quo ipso deducti demum in ea sumus,  
 quæ de quibusdam illustribus Wolfii doctrinis uel ipsi scripsimus, uel alii in nos scri-  
 perunt. Auxit hæc cogitationes & acuit Philosophiæ Wolfianæ historia, anno superio-  
 ri Lipsiæ ab amplissimo uiro, Carolo Gunchero Ludouici, philosophiæ professore, edita:  
 (Rursus Entwurf einer vollständigen Historie der Wolffischen Philosophie, Leipzig, 1736. 8.)  
 in qua aduersarios inter Wolfianos nos nostrum quoque nomen retulit, & nonnulla de  
 quibuscunque scriptis nostris monere uisus est. Citauit quoque consensientem  
 secum, aduersum nobis, uenerandum uirum, Georg. Bernhard. Luiffingerum, Theologo-  
 tum Tubingensem, meritis suis clarissimum; cui tamen à nobis iactis factum ab-  
 unde fuit in dissertatione de harmonia præstabilita, cum influxu physico collata, quam An-  
 clo hæc XXVI, Zittauæ edidimus. Ad alium uero Clar. Buiffingeri locum, qui in  
 Dilucidationibus ejus philosophicis de Deo, anima humana, et mundo (Sect. III, C. IV, §. CCCXXIII.)  
 legitur, percussit prouocare, quem nondum excessimus, ignotum adhuc nobis de  
 harmonia præstabilita dissertationem scribentibus. Hæc itaque cuncta dicepreare  
 modeste, aut illustrare tantum, animus est, ut ubique animi nostri innocentia, ac in  
 omnes propensissima uoluntas, nemini possit esse obcura. Gratulamur etiam cla-  
 rissimo auctori Lipsiensi, uel ob ueterem cum uenerando parente ejus conjunctionem  
 amico, hæc à te consecratam philosophiæ Wolfianæ historiam, ut patriæ optimæ  
 profit plurimum optimo animo precati, Nolumus tamen uel inter Wolfianos, uel  
 inter aduersarios Wolfii, nomen profiteri nostrum: Dissentientes enim sumus & esse  
 possumus in perquam multis, aduersarii esse non possumus. Dissentiens rempe-  
 rit ueritatis indaganda gratia: hominem, ejus famam & fortunam, aduersarius,  
 Nec immitti uolumus illis fluctibus, quibus utrinque jactati fuerunt utriusque  
 partis homines: omnes enim ueneramur dignos cultu nostro, omnibus cupimus o-  
 ptime, nullos sequimur in omnibus, nec secutori unquam sumus. Lites ejusmodi,  
 religionem & famam, ubi efferbuerint, sæpe in discrimen uocantes, dissipari ali-  
 quando, succedere halcionia, unique aut alteri philosophantium generi semper suc-  
 cedere nouum, inque nullo esse omne uerum, in multis ne quidem ueri genuina  
 principia, suo licet tempore diuina fuerint habita, tot seculorum docent consensio-  
 nes & monumenta. Erit aliquando tempus, ubi nostra omnia aliis permutabun-  
 tur. Nos primum de relectis in historia Philosophiæ Wolfianæ, dein de illo Clariss. Buiffin-  
 geri loco in dilucidationibus philosophicis, dicturi sumus. Refertur in illa) ex dissertatione  
 nostra Lipsiensi prima de Mente substantia, ejusque §. III, c. I. male nos illustri Wolf-  
 fio doctrinam de unica in rerum natura substantia tribuisse: erroremque in eo ni-  
 ti, quod per uocem illam artis, selbstständiges Wesen, non substantiam in uniuersum,  
 sed substantiam à se, intellexerit Wolfius. (p. 121. sq.) Scripsi hæc an. clo hæc XXIV,  
 quo anno nihil adhuc philosophiæ suæ ediderat uir clarissimus præter cogitationes  
 de uiribus intellectus humani, quarum editio prima lucem uiderat an. clo hæc XIII.  
 Locus horum cogitationum, ex quo collegi, diserte pronunciat: unter den möglichen  
 Dingen muß eines notwendig selbstständig seyn &c. das selbstständige Wesen nennen  
 wir Gott. Omnia lexica, & linguæ latinæ usus in uniuersum, uocem selbstständig  
 reddunt substantiale & substantiam: nullum ego noui, qui unquam de hac uoce  
 porestate uel dubitauerit: Wolfius terminum artis nondum exposuerat ullibi: quo-  
 modo itaque in me fuisset ullus error? Quod si ab omnium usu in uocibus leces-  
 sum fecisset illustribus uir, & hac uoce ens per se, aut ens necessarium, uoluisset intel-  
 lectum, monendus fuisset lector, aut uox latina inferenda: aut error erit in scripto-  
 re, qui obturitate & ambiguitate loquendi peccauit. Jam quidem satis nouimus,  
 ens necessarium ei dici, quod rationem sufficientem existentia sue in essentia sua habet: (Wolf.  
 Ontolog. §. 300.) id quod in loco controuerso dicere uoluisse contendit autor histo-  
 riæ. Nouimus perinde, substantiam ei esse subjectum perdurabile & modificabile, (ib. §.  
 708.) Sed id unum non satis conuenire menti Clar. Wolfii uidetur, ut hoc ipsum ens  
 necessarium, siue à se, dicatur cum autore historiæ substantia à se: cum substantia ei

fit subiectum modificabile: id quod de uno illo ente necessario, siue de Deo, dici nulla ratione potest. Substantiam enim ad entia contingentia per principia sua refert Wolfius, quæ entia necessario opponuntur: quod itaque dici substantia nulla ratione poterit. Demum ubique talia res est, non enim arguere *Wolfium* in disceptatione uolui, sed exponere tantum aut referre doctrinam ejus. Attulit porro autor historiae *Hex* dissertatione nostra Lipsiensi *de eruditorum in ciuitatem officii locum de definitione Philosophia Wolfiana §. 5.* adiecitque iudicium nostrum de hac esse, daß die Kunst-Wörter in derselben nach denen Begriffen von der Mathematic schmeckten. (p. 124) Equidem de hac definitione semper ita sensi, nihil re ipsa eam de philosophia exponere, quod non in ueterum definitione, qua philosophia dicitur rerum cognitio, causarumque quibus continentur, jam dictum sit: sed terminos in eadem conceptus sapere mathematicos dicere nec uolui, nec potui. Non potui: cum nulli termini artis ei, præter communes, nec soli mathesi proprias, insint. Non uolui: cum diuerse pronunciauerim terminos, quibus utitur illustris uir, suis de mathesi notionibus magis attemperatos esse. Scilicet objecti loco *possibilia* dicere maluit, & loco causarum adhibuit uerba, *quatenus esse possunt*: philosophia enim eiest *scientia possibilium*, quatenus esse possunt. (*Wolf. Philos. Rat. Disc. Prælim. §. XXIX.*) Per res possibiles Deum intelligit, & res creatas, homines hominumque actiones: rationes uero possibilitatis, existentia rerum & essentia, causas rerum designant. Re itaque nihil hic aliud, quam in ueteri definitione: licet Deum ad res possibiles referri mihi quidem *ἀνάγκη* dictum uideatur. Termini tantum definitionis, siue uoces, attemperari tunc notionibus de mathesi: in qua de possibilibus quaerere sufficit, imo cautæ sufficiunt possibilitatis: id quod sine omni contemtionem de quouis optimo uiro dici potest: cum loquendi forma, *ab autore historiae* adhibita, contemtionis quicquam spiritum uideatur. Quicquid sit, nec hic nec illic disceptare rem totam placuit: & omnia hæc uix dissentium arguunt à doctrina Wolfiana. Alta longe habeo & habuissem, si mouere controuersias tuisset in animo: ex quibus magno numero pluribus unum modo de harmonia animæ & corporis humani præstabilita deduxi in disceptationem. Recenset itaque *III* autor historiae, & quidem omni jure, (unum enim hoc controuersia dici potest) disputata à me aduersus harmoniam præstabilitam pro influxu physico in ultima disputatione Lipsiensi §. XXIV. sqq. Aduersus hæc citat *Bulfingeri* Commentationem de harmonia animi & corporis præstabilita §. XXXV. nota, y, sed nihil ibi responsum est. Satis tunc fuit celeberrimo uiro addidisse: *neque necessarius est uiro eruditissimo* (*Wolfio*) *hyperaspistes*. Confidentius quam uerius hæc scripra fuisse ego quidem credidi; inq; hæc ipsa *Bulfingeriana* Commentatione uarias esse doctrinæ de influxu physico interpretationes falsas, & præiudicatas opiniones, arbitratus Zittauæ exhibui disceptandæ materiam de harmonia præstabilita. Prodiit itaque *An. cl. hęc XXXVI. Harmonia præstabilita cum influxu physico collata*: in qua simul objecta influxui physico à *Celeberrimo Bulfingero* diluere aut tollere tulceperam. His omnibus uero perscriptis editisque incidi demum in *Cl. Bulfingeri* locum, in quo respondere uisus est sibi ad ea, quæ in disputatione Lipsiensi de theoria sensuum aduersus harmoniam præstabilitam disceptaueram. Extat locus in *Dilucidationibus ejus de Deo, anima humana &c.* §. CCCXXIII. p. 317-319. Huic itaque responsioni *Bulfingerianæ* cum latitatum nondum sit, satisfaciã hoc loco breuiter. Etenim a) scripleram in disputatione *influxum physicum esse excitationem motus per tactum*, ob convenientiam motus & mobilis factam: quo ipso non influxum mutuum animæ humanæ & corporis, sed influxum physicum in uniuersum, corporum in se inuicem, spirituum in se inuicem, animarum & corporum mutuum, describere uolui. Responder tantum, *tactum corporis & animæ se non intelligere, neque convenientiam nisi in anima cum subsequente mobilis translocatione*. Non intelligi ab aliis utrumque non nostra culpa est: & influxum animi & corporis mutuum interpretati sumus alibi luculentius. (*Harmon. præstab. cum influxu phys. coll. C. III. §. 1.*) Nisum animæ & translocationem mobilis male in rota hac controuersia opponunt, tanquam immediate ad se inuicem relata; quasi nihil efficeret translocationem particularum. In anima humana sunt facultates uiuæ spirituales, secundum certam ideam uel formam motus agentes: in corpore sunt facultates uiuæ corporeæ, secundum certam ideam uel formam motus agentes, & particulas uolatiles & humiditas, perque has crassiores, determinantes: coëxistentes hæc & illæ facultates in uno

FK II 304

VD18  
x 357 820 A

Joco se inuicem determinant, qualibet scilicet alteram pro ratione naturæ illius siue receptibilitatis, quam schola dixerunt: motus itaque in una expressus in altera quoque simul, quatenus illius capax est, exprimitur: & in qualibet naturæ ejus conuenienter continuatur. Quando b) *Celeb Viro* obsecrum videtur, quomodo conuenientiam anime & corporis erum; & quomodo ex hac conuenientia possibilitatem influxus, ex intima coexistencia quod hic contingere re ipsa debeat, deducam; obscuritatis causa omnis in eo esse videtur, quod singula examinare, conferre quæ antecedit, & principia per totam disputationem sparsa, & ex libris nostris allegata, repetita cogitatione introspicere non placerit. Porro c) *notionem influxus & unionis physice* apud alios haud occurrere, efficit nil aliud, quam quod de mutuo anime & corporis influxu nondum fuerit exhausta doctrina; nec hoc nobis, ulteriora tentantibus, potest esse fraudi. Colligit (d) varia à nobis asserta, quæ *Sibi Paradoxa* videntur, & quæ uel ipsis inflationistis non probarentur: id quod ego quidem facile ferrem, nisi in ueritatis præjudicium uerteretur. Quod uni paradoxon est, alteri liquidum effatum esse potest, Verum omne iis, quibus nondum pater, uisum fuit paradoxon; ut uel stoicorum illa paradoxa testantur. Non est hic querendum, an effata nostra possent quibusdam insolita uideri; sed uel resutanda erunt, uel admittenda: inquirenda minimum altius, antequam de iisdem sententia pronuncietur. Reliqua tota Bullfingeriana discussio redit ad obscuritatem, quæ obiecta reiji nostra sine examine & inquisitione posse & deberi collegit. Verum hanc respondendi rationem nullam esse uel me tacente intelligitur: quodue *illustri Wolffio* cum suis jure ab aliis requirit, ut ad sua, paradoxa plurimis uisâ, intelligenda omnem adhibeat animi intentionem, id quidem jure eodem requiro ab omnibus, qui nostra tractant, ut de eis ferre uolunt sententias. Plurima uera, in primis circa naturæ principia, rejecta à plurimis fuerunt solo *obscuritatis præjudicio*: cujus indolem & infelices fructus descripsimus *programmatis Zittauensibus An. cl. l. cc. XLIX. in memoriam Hoffm.* quod de hoc præjudicio inscribitur, & aduersus Celeb: Bullfingeri monita solum sufficit. Mihi quidem ipsa uox influxus semper uisa est in hac lite ualde incommoda, nubemque obficiens cogitantibus; Sublata uoce forsan tolli multum dubitationis & ambiguitatis posset. Terminus scholasticus est, ne quidem satis latinus, ad rem ipsam haud necessarius. Quod ex uno ente effluit aliquid, & transferatur siue in fluxum, ita ut pereat in priori, innuere uidetur. Quid, si loco ejus uox *determinatio*, determinatio realis uel effectiua, adhiberetur? Quæstio itaque erit: in anima determinare suum corpus, corpus suam animam, effectiue possit ad aliquam actionem uel passionem? *Anima* porro & *Corpus* in hac controversia à diuersis diuersa plane notione concipiuntur: ex quo nascitur & obscuritas & dissensio maxima. Corpus humanum, organicum & animale, nos concipimus ut uiuum, cujus uita est in sanguine suo; ei; opponimus alteram hominis partem, animam immortalem & spirituales: corpori animali & anime humane tribuimus uirtutes uitales & uiuas, quæ se inuicem determinant, & sæpe junctim operantur, ut hujus aut alterius limites ne quidem discerni possint. Unum omnium, qui harmoniam anime & corporis præstabilitam exposuerit clarissime, uenerandum habeo uirum *Job: Gustauum Reinbeckium*, ex cujus recenti adhuc scripto (*Erörterung der philosophischen Meinung von der so genannten harmonia præstabilita, Berlin. 1733. 4*) nonnulla, in quibus noscer quoque de eadem harmonia conceptus emendandus erit, liquido satis percepi. Sed eisdem, doctrinam influxus uariis incommodis oneratis, uocem influxus, & corporis sine omni uita conceptam, impossibile esse, ut difficultates conceperit ubi nullæ sunt, mihi tam clarum est, quam quod clarissimum. Ueramque uero difficultatem, quam in harmonia præstabilita deprehendit, primam maxime, quod series rerum perceptarum in hoc mundo non semper sint ejusmodi, ut res subsequens in antecedente habeat rationem, unde necessario series perceptionum in anima oriuntur, quarum consequens non habet rationem in antecedente, confirmant; & illustriant disputata à nobis in *harmonia præstabilita. (e. II. § XIII. XIV.)* Sed satis est litium! Tantos tamque excellentes in republica ecclesiastica & litteraria uiros his & similibus rebus, quæ quiete disputata dissipari forsan aut componi possent, tam diu, & tam grauitur, fuisse collisus, sæpe dolui. Ad *consensionem theologiae & jurisprudentie* redimus, de qua Orationem concepit *juvenis generosus & nobilissimus, Carolus Lebrecht Holm*, Lipsiensis academice ex nostro Gymnasio destinatus. Parente satum generoso & maxime strenuo, *Dom: Johanne Holm, in Sereniss: & Potentissimi Regis Poloniae & Electoris Saxonie exercitu pedestri* centurioni gravissimo, & optime merito, natum matre nobilissima, *Johanna Eleonora, nata Schmidia*, institutum priuatis maxime doctoribus, in Gymnasio disciplinam accepimus. Publica priuataque institutio in lingua patria & Latina, in Oratoria & logica arte, in rebus *historicis & moralibus*, inque lingua gallica & graphice, eo demum peruenit, ut transferri commode in castra Palladis academice possit, quo sub sacra hemide Stipendia mereat. Moribus ad uitæ prudentiam compositis, amore inter suos, fide erga omnes usus, ut sibi Gymnasi *Patroni, Doctores amici*, fauere sperat. Itaque Oratione latina rite habita *Carmine Germanico* his omnibus, Gymnasii que civibus, gratum animum testaturus est. *Votis* eum persequuntur *nobilissimi & ornatissimi iuuenes*:

*Job: Fried: Creutzer, Lubbenâ Lus. Orat. Latina. Carol. Fried Weisus Zittau. Lus. Carmine Germ.*  
*Otto Salomon Handorfius, Haynew, Lus. Carmine Lat. Job Gottlob Müller, Zittau Lus. Orat Gallica.*  
 Ut Deus abeuntem in omni uita uirtutibus Christianis & naturalibus oneret, parentes optimos ei dimittere conferret, Studiis largiter benedicat, ac eum reipublicæ utilissimum efficiat, optimo animo precamur. Vos, *Patres civitatis & eives eruditi, uiri Magnifici Excellentissimi, Summe plurimumque reuerendi, amplissimique, adeste testes* dicenti & fauitoris: adeste, rogamus, beneuoli, frequentes, bene precantes!

P. P. Dom. Mis, Dom, An. cl. l. cc. XXXI. II.

me



II f  
304

Orationem

De

*Theologiae & Jurisprudentiæ conjunctione,*

qua

Generosus & nobilissimus

Juvenis

**OLUS LEB-  
CHT HOLM,**

Dresd. Misn.

exacto

in

**NASIO ZITTAVIENSI**

curriculo scholastico

Mufis Zittaviensibus

Maji h. VIII. sqq. An. c18 lxxx XXXVII.

vale suum dicturus est,

commendat,

&

**ATRONOS,  
TORES & AMICOS  
GYMNASII**

ad audiendum

humanissime & peramanter inuitat,


**tfried Polycarpus Schüller.**

Gymn. Zitt, Direct.



ZITTAVIÆ,

Stannis Johannis Christiani Stremelii.



*De Philofophiæ Wolfianæ conceptu cum Theologia impugrato  
redrefenfo.*

*Pro rectore: G. Anton  
Vinculato et plurimum  
Saluti & amoni. huj.  
fuerunt m.  
Anton*